



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Schefferi Argentoratensis De Re Vehiculari
Veterum Libri Duo**

Scheffer, Johannes

Francofurti, 1671

Cap. XIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13156

Secundarias quasdam habenas.) Totum hoc est commentitium. De habenis observavit, quod & nos ostendimus, trajici per annulos conservuisse. Sed fuerunt illæ habentæ ordinariæ, nec annuli in capsa, verum jugo, quod abunde monstravimus.

Cap. X.

Combatus.) Omnia hæc falsa sunt, & inepta, & vox ipsa prorsus ignota classicis scriptoribus.

Comba, quod lecticam.) Hoc ex cubandi vel accumbendi voce arbitror collegisse. At comba veteribus, quæ & cumba, & cymba, navigium, non lectica, quod in librís nostris de Militia Navalí demonstravimus.

Vox est lingue Sabine.) Hæc vero ficta sunt à nostro, neq; usquam apud veteres leguntur.

Apparet ex antiquis monumentis.) Supra jam optavimus ab amantibus antiquitatis ista publicari, quod hic repetimus.

Cap. XI.

Sulpitius Gallus.) Hunc ego Sulpitium Gallum penitus ignoro, neq; visum haec tenus, aut in lucem datum arbitror.

Cap. XII.

Comitatus semper Marco Antonio.) Nihil tale apud Plutar chum legas. Antonium Roma profugisse ad Cæsarem scribit ēτι μετά των ζωγρῶν, quod non video, quid huc faciat.

Curricula.) Feminino genere non legi haec tenus, quod sciam.

Curritius.) Penitus ineptum etiam hoc vocabulum existimo.

Propterea Cicero.) Nil ex hoc Ciceronis loco colligas ad con firmandum, quod præcedit. Imo curriculum ibi non vehiculum est, sed spatium currendi, quod cuivis mediocriter perito apparet.

Vt testatur Plinius.) Lib. VII. cap. 20. Sedibi nihil tale, tan tum ait, nocte ac die longissimum iter vehiculis tribus emensum.

Cap. XIII.

Panem & palma.) Scribe, panem & palmulas, sic enim habet Suetonius cap. 26.

ggg

Quod

Quod effeda allatus esset commeatus.) Hoc inane interpretationum est. Nam Svetonius quidem testatur Augustum ipsum, vectum effeda, cœpisse cibum, quod alij, tanquam in loco inconvenienti facere detrectabant. Itaq; hic nil de commeatu in effidis vehi solito vel verbulo.

Hoc genus militare esse.) Imo verò hinc colligitur, circense esse. Nam de victoria in Circo loquitur, non in bello.

Curruriarius, vehicularius.) Omnia hæc sunt barbara, & Latinis auribus ignota.

Cap. XIV.

Quoniam est incommodeum agris.) Nihil tale, imo omnia contraria legas apud Gellium, ut ex iis constat, quæ de hoc vehiculo tradidimus.

Cap. XV.

Portandis per vias straminibus.) Hæc ex Isidoro male intellecto haufit, quia scripserat, esse mollibus stramentis positam. De straminibus enim nemo quidquam habet, quod Ligorianis conveniat.

Trahebatur g, ab equis.) Imo portabatur, quoniam destitutum erat rotis, & vehiculum, quod in monumentis vidit, generis non hujus fuit, sed alterius.

Sunt & alij currus quadriroti.) Qui nil faciunt ad basternas, propter caussas, quas iam dixi.

Carri non genuini.) Cur hos minus genuinos vocitet, quam alios, haud euidem excogito, nisi fiat in respectu ad basternas. Verum ita currus nulli genuini erunt.

Cap. XVI.

Qui simul carro tali vehuntur.) non simpliciter & ubiq; verum in militia & prælio.

Corpus ejus.) Ita nominat ex ingenio linguae Italicae, quod Latini appellant capsam, sive sellam, quod semel fuit annotandum.

Atq; interdum umbella.) Hoc ex Glossis suspicor haufisse, in quibus legitur οὐλωάρχης, bennarius. Quia enim mentio hic fit συνῆς, ipse de umbella cogitavit.

Cap.